



SANctus Adelbertus ille sanctitate morum & sacrarum literarū cognitione, anno post Christum millesimo, omnes eius temporis sacerdotes superauit. Itaque Pragæ in Bohemia Episcopus ordinatus fuit, cum S. Heinricus rebus Germanicis præcesset. Cum autem res Ecclesiæ in ijs locis comodè ordinasset, ipse in Vngariam, Poloniam, & tādem in Prussiam profectus est, ut Idolorum cultoribus Christum prædicaret. dum is fluuiū quendam transiisset atq; nullam pecuniam haberet ut naulam solueret, à nautis remige percussus fuit, quam contumeliā patienter ferebat. Cum in Prussiam uenisset, hinc inde profectus, ubiq; Euangeliū prædicauit, atque idola destruxit, ostendens huiusmodi, demonum astu, hactenus miraculis claruisse, ut Dei gloria obscuraretur. Id cum impij sacerdotes ferre non possent pio huic Dei Präconi insidiari ceperunt. nec destiterunt donec tandem ipsum in campis depræhensum, & multis uulneribus transfossum, ei caput amputarint, & corpus suspenderint. Itaq; Boleslaus rex Poloniae frusta colligens, Gnetzne sepulturæ tradidit. Vbi etiam eius reliquiæ posterius in magno pretio habitæ fuerunt. Mart. Crom. Aene. Syl. in Bohem. capite decimo sexto.